

¹⁹⁶
A RATIONIBVS PATRIMO. Sæpenumero in antiquis Inſcriptionibus occurrunt liberti *a rationibus* vel *Procuratores Patrimonii*, nuſquam tamen, quod meminerim, *a rationibus Patrimonii*. Vetus Inſcriptio a Gorio vulgata in Columb. Liv. Aug. n. CXXXI. exhibet *Custodem rationum Patrimonii*, quem Salvinius *λογιστην*, ſeu ut nos dicimus *Computiſta* ſtatuit fuiſſe. Verum haud plana res eſt. Achilles Gallieni Aug. lib. *a rationibus Patrimonii* vere *λογιστης*, ſeu *Computiſta* fuit, rationeſque Patrimonii Auguſti accepit; contra Bromius ille *custos rationum Patrimonii* Livæ Aug. cuſtodiffe videtur non confeciſſe tabulas rationum Patrimonii, quæ in peculiari tabulario aſſervabantur, ut docent Gruterianæ Inſcriptiones a Gorio in annotatione ad eam Inſcriptionem cumulata.

CLIII.

Illud animadverſione dignum eſt in hæc Inſcriptione, quod ſervile nomen Græci fortaffe generis libertæ Græcis literis expreſſum ſit. Quum Cornelia hæc P. L. dicatur a P. Cornelio Salonino Valeriano libertatem accepiſſe conſtat; hanc enim Inſcriptionem ex eodem Columbario, quo ſuperiores, Roma huc delatam fuiſſe & Paſſerius lapidis dominus teſtatur, & marmoris ipſius color, quem *patina* dicimus, ac literarum forma perſpicue indicant.

CLIV.

Hæc quoque Inſcriptio diligenter expendenda eſſet; verum ſi quid intactum, vel non fatiſ illuſtratum reliquero, plura ac meliora præſtabit eruditiffimus marmoris dominus Jo: Baptiſta Paſſerius in Prolegomenis ad fictiles ſui Muſæi Lucernas; quas ut tandem edere conſtituat, quotquot antiquariæ rei cura tangit, enixis votis rogamus. Illud autem teſtatum omnibus hic volo, ſexcentas ferme lucernas, ineditas omnes, forma, inſcriptionibus, anaglyphis inſignes, præ notarum, quibus illuſtrantur, doctrina & elegantia, nullo pene in pretio habendas eſſe. Sed ad Inſcriptionem.

AGATORVLVS. F. L. PYRRVS. *Fauſti Libertus*. Fauſti prænomen litera F. contineri exiſtimo, quod auctoritate antiquorum lapidum in Romanorum prænominum catalogo recensuit Sigonius de Nomin. Rom. & adverſus Robertelium defendit Fabrettus Inſcr. Dom. Cap. I. pag. 22. FIGV-